



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Samuel Indus Ord. Præd. omni quidem virtutum Exercitio, cultu tamen Mariano maxime insignis, rejectam ab ægri vomitu Eucharistiam cum sumpsisset, Angelum videre spectabilem meruit, dicentem: illum hoc actu Dei Genetrici similem, Deoque chariorem esse factum, cum eâ ratione intimam sibi fecerit carnem Christi. *Ex hist. Ord. Consanguinitas Mariæ, quanta dignitas!*

B. Samuel ora pro me Deiparam, cujus carnem toties, utinam dignè, sumo, ut se pro me consanguineo suo apud filium mediatricem exhibeat, ut ille ob Matris gratiam cuncta peccata mea deleat, consolationem mihi necessariam tempore opportuno ostendat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus senties millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: dicam officiolum de Immaculata Virginis conceptione.

Decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum suum, ita clarè disponebat, ut naturaliter esset idem communis DEI Patris & Virginis Filius. *S. Ansl. de conc. V.*

Quæstio: Cur Deipara patiatur immaculata sui conceptionem in Ecclesia non definiri?